

DEO DUCE.  
DECAS APHORISMORUM  
DE  
**PROVIDENTIA  
DIVINA,**

Quam  
*Benevolo Superiorum consensu*  
Sub PRÆSIDIO  
*Maxime Reverendi atque Celeberrimi Viri*

**D<sup>N</sup>. JOHANNIS  
BROWALLII**

S. S. Theol. Doct. ante hac Scient. Nat. iam vero  
designati Theolog. Prof.

*In Regia Academia Aboënsi modeste examinandam sistit*

**GABRIEL ARENIUS**

*Ostrobotniensis*

In Audit. Mai. d. 4. Julii A. MDCCLXVI

Horis ante meridiem solitis.

---

**ABOÆ, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typ**

Landt Rentmestaren Edel och Högachtad,  
Herr GERHARD HELLBERG

Min gunstige Walgynnare,  
Handelsmannen i Wasa, Ähreborne och Högwalachtad  
Herr ISRAEL HANSSON,

Samt


Handelsmannen i Christina Ähreborne och Högwalachtad  
Herr HANS BERG,  
Mine gunstige Gynnare.

**E**tt prof af Guds Færsyn, thet man ei minst bør wårda,  
Är wist at Gynnare och adla Wenner få,  
Som båd' i med och mot ta del och lika bårda,  
Meddela lika godt, som Gud them unna må.  
Jag wiågår wårdsamt all then nåd mig Gud har wifad.  
Hos Ehr, Walgynnare, mång prof jag deraf har;  
Ebr godbet, æmbet, gunst, som mig fast ofta lifad,  
Jag ei fœrgeta skal, men wårda all min da'r.  
Upsagen thessa blad om Guds Færsyn, jag beder,  
Som prof af tack/samt sinn' fær sa mångfaldigt godt;  
Fœrtynen lede Ehr! och fœlje i mång leder  
All timtig salhet bør! och sildt en ewig lott,

Oen/kar

Mine gunstige Walgynnares

Oedmiuke tienare  
GABRIEL ARENIUS.



*Aphor. I.*

**E**X rebus contingentibus in uniuerso existentibus Entis cuiusdam perfectissimi & absolute necessarii existentiam demonstrare non est difficile. Non enim a semet ipsis, nec a fortuito casu, aut atomorum concursu ortum ducere potuerunt. Tam quoque stupenda sunt heic artificia, tam in dissimilitudine amica conspiratio, & ad debitum obtinendum finem concentus mirabilis, vt a causa quacunque finita tantum opus proficisci haud potuerit; vt taceam, quod & ipsa esset per se ad existendum insufficiens. Essentiam vero Entis Illius infiniti, aeterni ac per se existentis in complexu omnium perfectionum collocamus. Posita itaque Entis perfectissimi existentia, ponuntur

A

tur



tur quoque necessario singula Eius attributa, utpote quæ infinitæ Ipsius essentiæ ac naturæ congruunt.

*Aphor. II.*

**A**tributa Dei, quamuis ab Illius essentia realiter separata non sint, non tamen in sola *ratione ratiocinante*, ceu volebant nominales Scholastici, ab essentia divina differunt, ita ut nil nisi nomina in Deo indigent. Sed differunt ab essentia *ratione ratiocinata*, pro nostro nimirum concipiendi modo, cum fundamento in re. Ob intellectus itaque humani finitudinem varie considerantur: ut *affirmativa* aut *negativa*, ut *absoluta* vel *respectiva*, ut *quiescentia* vel *operativa*. Ad prouidentiam vero diuinam, quam hic leui penicillo adumbrare audeamus, omnia attributa diuina concurrunt, & sistit illa complexum quasi eorum omnium, quatenus in sustentatione & gubernatione uniuersali exierunt.

*Aphor. III.*

**C**um nulla veritas adeo sit manifesta, quin veritatis osorum insultibus sit exposita; ita multi in dubium vocare vel impie negare prouidentiam.

dentiam divinam ausi sunt. Hoc faciunt non modo athei, sed etiam illi, qui cum *Leucippo* & *Epicuro* providentiam negant, ne ab otio voluptuoso Deos suos ad negotia vocent. Nec non Illi, qui fatum Stoico-Caluinianum vel Scholasticum introducere laborarunt. Alii mediate tantum concurrere Deum rebus creatis per Spiritum quendam vniuersalem & athereum opinati sunt, quo pertinent inter antiquos Chaldaei & Pythagoræi, & recentius Paracelsistæ. Per plurimi tamen Ethnicorum solo rationis ductu providentiam Numinis admodum perspexerunt atque agnoverunt. Doctrinam hancce ex omniscientia nec non bonitate ac amore Dei demonstravit Socrates: *Deus, inquit, per omniscientiam suam quid homini sit utile, optime novit, quare & vult, ut ipsi soli confidat, omnesque actiones suas eiusdem directioni committat.* Platonis scripta de hoc negotio magnifice sapius loquuntur. Eadem quoque mente fuit Cicero: *Cum inspicimus, inquit, ordinem, qui inter res naturales ac ea, quæ in mundo accidunt, obuius est; fieri non potest, ut aliud nobis persuadeamus, quam quod si existant Dii, omnia gubernent.*

De

De immediata Dei providentia egregie loquitur *Aristoteles*. *ἡδὲ αὐτὴ φύσις αὐτῆ καὶ ἴσῃ αὐτῆ αὐτῆ, ἐπὶ αὐτῆ ἐκ τῆς αὐτῆς.* *Nulla est natura, quæ sibi ipsi sufficiens sit, si Dei conservatione destituatur.* lib. de mundo cap. VI. Stoici quoque eleganter sæpe de providentia divina cogitarunt & locuti sunt; Ast fato suo, tanquam altera manu, quod una dederant, rursus sustulerunt. Si rationem consulimus nostram, veritas hæc nobis adeo euadit clara, ut ii, qui providentiam negant, athei merito habeantur; æque enim impium est providentiam diuinam irritam facere, ac Deum expresse negare. Et iisdem argumentis providentia diuina demonstratur, quibus existentia eius euincitur, vel Scriptore græco *Nemesio* teste: *ὅτι ἐστὶ παροξιά, διὰ τῆς αὐτῆς αὐτῆς ἐπιδείξαι, δι' αὐτῆ, ὅτι καὶ θεὸς ἐστὶ, ἐδείξομεν.* *Providentiam iisdem rationibus quis ostendat, quibus Deum probavimus.* de prov. Div.

*Aphor. IV.*

**A**pparet ex rerum creatarū mutationibus, atq; imperfectionibus, quibus obnoxia sunt, Deum ipsis providere, easq; sine manu aliqua suprema sustentatrice ac directrice sibi nullatenus constare posse.



se: Vt enim Deus res possibiles & ex se non existen-  
 tes per creationem existere iussit, ita easdem ex se  
 non durantes facit durare. Ita vt & in fieri  
 & in *conseruari* earundem clementissime influat.  
 Sunt præterea omnia creata entia successiua,  
 quæ esse suum non simul & semel habent, sed  
 quasi in fluxu. Hinc quolibet momento poten-  
 tia conseruatrice, creationis continuatione, o-  
 pus habent, quæ largitur continuatæ existentia  
 momenta. Præterea, si Deus res a se creatas  
 sine cura relinqueret, de eiusdem sapientia,  
 iustitia & bonitate esset actum. Firmo itaque  
 nititur talo prouidentiam diuinam non possibi-  
 lem modo esse, sed actu quoque existere.

*Aphor. V.*

**F**inis Dei in creatione, qui est attributorum  
 diuinorum manifestatio, & creaturarum sa-  
 lus ac incolumitas, prouidentiam eius optime  
 demonstrat. Nulla enim in tota rerum natura  
 datur res creata, quæ hunc finem vel formaliter  
 vel obiectiue non respiceret. Omnia uiua  
 in eo quasi conspirant, vt conseruationi stude-  
 ant suæ. Homo præcipue non temporali ac-  
 quiescit saluti, sed æternam quoque, vi immor-  
 talita,

calitatis animæ, affectat. Si hoc fato soli adscriberetur, tum homo omnium creaturarum esset infelicissimus; nouimus enim, varii generis calamitates & miseras per totam vitam ipsius esse comites. Quis itaque non videt, infinitum quoddam ens infinitam nostram salutis cupidinem dirigere, finique suo attemperare, eamque aliquando satiaturum?

*Aphor. VI.*

**T**Estimonium prouidentix diuinæ præbet nobis insuper secunda & aduersa fortuna nostra. Bona & mala actionibus liberis per se non connexa, adeoque improuisa, quæ opponuntur consecrariis actionum liberarum necessariis, secundam & aduersam hominis fortunam constituunt. Si hosce casus fortuitos propius inspexerimus, admiranda nobis obueniunt omnia, & talia, quæ mens capere non valet nostra. Quis vnquam fuit siue adhuc est mortalium, qui profiteri non tenetur, se hac vel illa occasione fortuitum quendam casum ac iuuamen, vel detrimentum inopinatum expertum fuisse? Hic in vitæ quodam periculo, alius vero in quotidiana sustentationis penuria con-



constitutus, vbi nullus suæ prudentiæ fuit locus, inexpectatas obtinuit suppetias. Quid hinc aliud concludimus, quam quod ens quoddam superius cura sua speciali casus nostros pronutu ac beneplacito voluntatis suæ, legibusque sapientiæ conuenienter, dirigat?

*Aphor. VII.*

**H**ilce argumentis demonstrata prouidentia diuina, indolem ipsius breuiter pensitemus. Curam Dei pro creaturis prouidentia diuina indicat, cuius systema Deus ab æterno concepit animo, & secundum quod instituit directionem totius vniuersi, & hæc duplici respectu consideranda venit: Quæ ad omnes res creatas se æquali extendit modo, *generalis*; quæ vero circa homines eorumque actiones versatur, *specialis* dicitur. Circa objecta prouidentia diuinæ notanda est celebris scholasticorum distinctio inter *naturalia*, *præternaturalia* & *supernaturalia*. Naturalia dicuntur, quæ secundum regulas ordinarias, a Deo in natura institutas, fiunt. præternaturalia, quæ fiunt admixta quadam naturæ operatione, sed præter naturalem tamen naturæ ordinem. Supernaturalia illa sunt, quæ

B nec

nec per naturæ cursum fiunt, nec fieri possunt, omnemque potentiam ejus plane transcendunt.

*Aphor. VIII.*

**R**atio formalis providentiæ divinæ interna est vel externa; Illa spectat ea, quæ intra essentiam divinam fiunt, atque consistit in *προγνωσις*, præscientia illa, qua Deus omnia rerum creaturarum conservationi & gubernationi conducentia cognoscit; ac *προθεσις*, decreto, quo ad finem hunc obtinendum necessaria decernuntur. Hæc vero ea complectitur, quæ extra Deum in rebus creatis sese ostendunt, & vulgo dicitur *δίκαισις* vel *προθεσις*, seu decreti illius facti executio. Fatemur tamen illos, quibus strictior termini, providentiæ, acceptio placeat, duos tantum illos actus internos inter providentiæ requisita numerare; actum vero externum pro effectu potius, quam ipsa providentiæ, habere. Ostendit vero sese *δίκαισις* per conservationem & gubernationem rerum creaturarum.

*Aphor. IX.*

**C**onservatio est ille omnipotentia divinæ effectus, quo omnes res creatæ ab interitu, perpetuo & positivo Dei influxu, conservantur,

vt viribus integris durationem suam ab vno  
 tempore ad aliud continuare possint. Vnde pa-  
 tet, quoniam sensu asserunt Theologi pariter ac  
 Philosophi, conseruationem non esse nisi contis-  
 nuatam creationem. In omni vero, quod Deus  
 conseruat, duo obseruanda esse nouimus; *scilicet Rea-*  
*le & limitationem*, seu defectum illum, qui *scilicet*  
*Reali* adheret. Reale omne Deus conseruat;  
 limitationes vero, quæ in mera priuatione &  
 defectu realitatis vterioris consistunt, influxu  
 quodam conseruatorio non indigere videntur; ni-  
 si quatenus limitationes singulorum ad totius  
 perfectionem atque bene esse influunt. *Concur-*  
*sus* est ille voluntatis diuinæ actus, quo Deus  
 creaturam ad agendum aptam reddit, & ad o-  
 mnes effectus & actiones creaturarum coinfluit.  
*Gubernatio* in eo consistit, quod dirigat media  
 & actiones ad certum aliquem finem, eumque,  
 ex intentione Dei, semper bonam. Alii duos  
 tantum providentiæ actus constituunt, & con-  
 cursum vel ad conseruationem vel ad guberna-  
 tionem referunt; qui tamen confundere non con-  
 fundenda nobis videntur.



**V**Sus, quem nobis præstat hæc prouidentix diuinæ consideratio ac pia eius meditatio, insignis est. Cum enim omnia decreto & directioni Numinis subsint, vt nec fata hominum, siue prospera siue aduersa, Dei prouidentia careant, id motiua nobis præbet atque nos obligat ad malas omittendas, bonas vero committendas actiones: Immo si duriores nobis contigerint fortunæ vices, animum tamen non despondere licet; sed eo certius nos credere oportet, Deum tanto manifestiora aliquando prouidentix suæ documenta nobis daturum, ac pro infinita sapientia sua nobis optime consulturum. Excitat simul hæc doctrina penes nos venerationem summi Numinis, vt semper agnoscamus manum supremam sustentatricem & directricem; nec plus quam fas est tribuamus causis secundis, ad euitandam idololatriam, superstitionem ac materialismum; sed Deo Soli omnia, laudem & gloriam adscribamus.

